

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XIX. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Quomodo ergo David in spiritu eum vocat Dominum, &c.

His verbis Christus non inficiatur, se filium Davidis esse: sed probare vult, se plus quam hominem esse. Quia enim David se Dominum suum vocet, sequi hinc expedite, quod non nudus homo: sed *θεός* sit, siquidem non moris sit, ut pater filium suum, & quidem antequam natus sit, Dominum suum appelliter.

Hinc iterum efficax solatium ad nos redundat. Quia enim Christus non modo Davidis filius: sed & Dominus, & ita in una persona *θεός* est, de plenaria peccatorum nostrorum expiatione dubitare non debemus. Sanguis, qui profusus est, non nudi hominis est, sed sanguis filii Dei, i. Joh. 1. v. 7. mors ejus non nudi hominis, sed filii Dei mors est. 1. Cor. 2. v. 8. Act. 3. v. 14.

Hoc ita in consilio S. S. Triados decretum est, ut pro magnitudine operis, quod Messias exantlare debebat, non merus

homo & filius Davidis: sed & filius Dei & Dominus Davidis foret. Quomodo alias giganti prædam eripere, Esa. 49. v. 24. forti armato arma auferre, Luc. 11. v. 21. mortem in victoria absorbere, Esa. 25. vers. 8. Diaboli opera dissolvere, 1. Joh. 3. v. 8. & peccata expiare potuisset? Dan. 9. v. 24. Hinc Augustinus: *Divinitas sine humanitate non est mediatrix, & humanitas sine divinitate non est mediatrix: sed inter divinitatem solam, & humanitatem solam, mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas.* Nunc dicimus: Consummatum est, Joh. 19. v. 30. Quis accusabit adversus electos Dei? Rom. 8. v. 33. seqq.

Hac consolatione confisi, possumus tranquille vivere, & beati mori.

Quod nobis omnibus ex gratia largiri dignetur, Pater noster cœlestis, per filium suum Jesum Christum, servatorem & Dominum nostrum,

Amen.

* * *

Dominica XIX. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 9. v. 1.

EXORDIUM.

CUm Noah ultra annum in arca perseverasset, & animadverteret, quod aquæ minuerentur in terra aperiens fenestram arcæ, dimisit *corvum*, qui, cum de cadaveribus se sustentare potuit, non reversus est. Emisit quoque *solumbam* post eum, qui venit ad se ad vesperam, portans folium olivæ, decerptum in ore suo. Intellexit ergo Noë, quod cessassent aquæ super terram, Gen. 8. v. 6. seqq.

Hæc mystice applicanda veniunt.

Arca Noë *imago Ecclesia* est, ut ipse Petrus exposuit, & applicat, 1. Pet. 3. v. 20.

Quemadmodum igitur in illa cohabitabant corvi & columbæ: Sic & in Ecclesia *boni & mali* permixti sunt. *Corvus* vocem habet odiosam, semper clamans, Cras, cras: Sic multi sese offerunt inter Christianos, qui corvinam hanc *edunt*

Vid. infr. part. 3. p. 329. b.

edunt

edunt, & licet ad poenitentiam vocentur, cogitant: Sat temporis reliquum est, & ita poenitentiam de die in diem protrahunt. Ideo subinde fit ut procrastinantes producant tempus, & tandem plane excludantur, ad exemplum virginum fatuarum, Matth. 25. v. 11. 12.

Columba vero vocem habet garrientem, Esa. 38. v. 14. & imago est vere poenitentium, qui sine intermissione orant ad Deum; modo: Domine non intres in iudicium cum servo tuo, Psal. 143. v. 2. modo: Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim, Psal. 25. v. 11. modo: Reminiscere miserationum tuarum Domine, Psal. 25. v. 6. imprimis, quando vexatio advenit, quæ intelligere facit auditum, Esa. 28. v. 19. Hoc Deo oper placet, ut suavi repercuenti Echo ille respondeat: Ah dilecte fili! dilecta filia! conturbata sunt viscera mea super te, miserans miserebor tui, Jer. 31. v. 20.

Exemplum habemus in Paralytico presentis Evangelii, qui etiam per crucem ad Christum adductus est, & quia cor contritum & poenitens attulit, respexit Dominus fidem ejus, non modo amice eum alloquens: Confide fili! sed restituit quoque eundem, ut sublato lecto suo, abierit in domum suam, quasi nunquam morbo hoc laborasset.

Nos absque ulteriori praefamine ad ipsam Evangelii tractationem accedemus, pro instituti ratione delibaturi:

I. Ἀνθρώπων λογίαν sive notitiam nostri.

II. Χριστολογίαν, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegetis.

Cum Judæi amplissimam legationem, ex Sacerdotibus & Levitis constantem

ad Johannem Baptistam mittere decrevissent, nulla alia instructione dimittebant eos, quam ut quærent: *Tu quis es?* Joh. 1. v. 19.

Licet igitur Pontifices Hierosolymitani hoc ipso aberraverint, quod Johannem Messiam esse putaverint, qui tamen in medio eorum stabat, quemque nesciebant: attamen hinc ansam capere possumus, quomodo quilibet se in examen vocare, & quætere debeat: *tu quis es?*

Hoc plurimum refert: *Multi multa sciunt, & seipfos nesciunt, alios inspiciunt, & seipfos deserunt*, ait Bernhardus. Hoc vero iniquum est. Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate, mandat Apostolus, 2. Cor. 13. v. 5.

Notitiam nostri discemus, si consideraverimus:

1. *Dignam bajulorum commendationem*, qui paralytici rationem habuerunt, eumque in lecto jacentem Christo obtulerunt. Matthæus vocat κλῆιν, Lucas κλῆιδίον, Marcus grabbatum. Fortasse feretrum vel simile quid fuit, in quo ægrotus in lecto suo recumbens, à quatuor viris ferri potuit.

Quia vero multa turba confluerat, potissimum ex curiositate, Christum videndi, & novellas audiendi, qui vero tanta commiseratione non movebantur, ut infirmo huic locum dedissent, quo juxta desiderium suum, ad Christum pervenire potuisset: sicut adhuc hodie quoque ejusmodi stipites inveniuntur, qui bono proximi ne latum quidem unguem cedunt, aut inserviunt, quin potius impie obstitunt, ut alii in negotiis suis impediuntur. Sicut Edomitæ Israelitis transitum per terram suam denegabant, licet illi via publica ingressuros, se, nec ad dextram

tram, nec ad sinistram declinatos esse promitterent. Num. 20. v. 17. 19.

Ita & hic accidis, cum bajulantes cum ægroto venirent, ecce! tanta multitudinis stipatio erat, ut non perrumpere, & leopum suum attingere possent. Ideoque per gradus in tectum ascendunt, siquidem Judæorum ædes tecta complanata habebant, in quibus stare & ambulare poterunt, ad modum altarium nostratiuum. Propterea mandavit Deus Israelitis, ut cum ædificaverint domum novam, facerent peribolum tecti, per circuitum; ne quis præcepseret, Deut. 22. v. 8. Postquam igitur magno labore ascenderunt, per fessum tecto funibus demittunt paralyticum ad pedes Christi. Ecce! exemplum fidei & amoris infucati, quod bajulatores hi in paralytico probarunt.

Hic parumper confiste, & probate, mi Christiane! utrum & ipse tanto studio & zelo, proximum tuum in miseris constitutum adjuveris?

Si verum fateri velis, te id non fecisse, affirmabis. Ergo ex illorum numero te esse, vides, de quibus Christus prædixit, quod amor in cordibus eorum frigeret, Matth. 24. v. 12.

Quis hodie alterius causa pedem ququam effert, nisi merces sequatur? Omnes, quæ sua sunt, quarunt, Phil. 2. v. 21. benedicentes sibi, si proximo incommodare possunt, quasi rem probe gesserint, Psalm. 10. v. 3.

In V. T. Deus legem tulit, si quis bovem aut asinum proximi sui errare, aut sub onere jacere videret, ut sua re neglecta, eosdem reduceret & sublevaret, Exod. 23. v. 4.

Sed hodie lex illa plane antiquata est. Quomodo dicit Cain? Nunquid custos

fratris mei sum ego? Gen. 4. v. 9. Sic Sacerdos & Levita præterierunt, cum hominem semi vivum, in via jacentem viderunt, Luc. 10. v. 31. Adhuc hodie nihil familiarius est, quam ut egeni stipem petentes repulsam patiantur his verbis: Ite in pace, Jac. 2. v. 16.

Quod si itaque hac in parte deliquisti, desine in posterum, & disce à bajulatoribus hisce, quomodo necessitatibus sanctorum subvenire, & Christianam caritatem commendatam tibi habere debeas, in hoc cognoscent omnes, quod discipulus Christi sis, &c. Joh. 13. 35. Contra vero: qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clausit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? 1 Joh. 3. v. 17. quærenti sibi ipse respondet: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? 1 Joh. 4. 20.

II. *Tacitam Christi accusationem.* Et ecce, quidam de Scribis dixerunt intra se hic blasphematur. Isti sane homines merito nigri censendi sunt, qui suppressis insidiis suis commodæ occasione easdem reservant, qua majori dispendio proximo incommodare possunt. Hinc præsci ethnici dixerunt: *μὴ μνησθῆτε τὸν ἐν* h. e. uti Siracides id explicat: Multi pacifici sint tibi, Sir. 6. 6.

Hic velim examines te, utrum & ipse ejusmodi simultatibus proximo insidias struxeris?

Ah dilecti! adhuc hodie vesipelles ejusmodi non pauci reperiuntur, qui adeo cordati non sunt, ut in præsentia quempiam arguant: sed in absentia sicut novacula acuta faciunt dolum, Psal. 51. v. 4. & diffamant proximum, ut innocenter bonæ existimationis naufragium ille faciat. Exemplo po-

test esse Abimelech quem sycophanta Doge adeo denigrabat apud Saulem, ut sine omni excusatione, cum octoginta quatuor viris morte traderetur, 1. Samuel. 22. v. 18.

Idcirco Rex Antigonus Deum quotidie rogavit, ut se contra amicos suos defenderet, & quaesitus, cur non potius oraret, ut se adversus inimicos tueretur? respondit: Contra inimicos meos ipse munire possum: at contra falsorum amicorum insidias vix me defendere potero, hic Dei patrocinio opus est, ut securus sim. Hinc Siracides: Multi ceciderunt in ore gladii &c. c. 8. v. 22.

Quicumque verus Christianus esse vult, ille non magnopere miretur, si adhuc hodie audire cogatur: Hic blasphematur. Quodcumque enim loquimur contra Missam, invocationem Sanctorum, coelibatum Clericorum, contra nefandam idololatriam, quam cum consecratis hostiis Adversarii committunt, quas adorant, cultu divino afficiunt, & similia: id omne à Pontificiis pro meris blasphemis habetur, cum tamen in tota sacra scriptura de electio hoc cultu, ne apicem quidem invenias. Propterea non magnopere id curare debemus, quia injuriam nobis inferunt. Potius conscientia rectae voluntatis nos sustentare debet, juxta illud Christi: Beati estis, cum maledixerint vobis homines &c. Matth. 5. v. 11. 12.

Sed sollicito curemus, ut vere tales nos gloriemur. Hodie pro dolor! nihil familiarius est, inter nos Christianos, quam maledictiones, imprecationes, blasphemias, apud summos & infimos, ut non incommode diceret, quemadmodum tempore Achab spiritus mendax egressus est, in ore omni-

um Prophetarum eosque decepit, ut Achab suaderent contra Syros expeditionem suscipiendam, 1. Reg. 22. v. 2. sic etiam nostra hac aetate diabolus blasphemis & maledictionibus refertum in mundum abiisse, qui homines seducat, ut sanctissimum Dei nomen in vanum assumant, & Christi vulnera, passionem, sanguinem & mortem blasphement, quibus erictu & regno diaboli recepti, ad vitam aeternam regenerati sunt, 1. Pet. 1. v. 23. Sicut Paulus in specie de his postremis temporibus praedixit, quod multi *ἀπιστοί* in iis prodituri sint, 2. Tim. 3. v. 1. 2.

Abstineas hoc peccato, quo justissimum numen ad justam iram provocatur, nec inultum abire sinet. Nec enim in fontem habebit Dominus eum, qui assumerit nomen suum frustra, Exod. 2. vers. 7. 1. Cor. 6. v. 10.

III. *Perversam Scribarum argumentationem.* Dum enim Christus paralytico huic peccata remittit, blasphemias ideo illum arguunt. Argumentum eorum hoc est:

Peccata remittere est opus Dei, Exod. 34. v. 7. Mich. 7. v. 18. Psal. 32. v. 1.

Hic remittit peccata, & adscribit sibi opus Dei.

Ergo, blasphemus est, & blasphemias poenam luet.

Hic proba te, mi Christiane! annon interdum Phariseos imitatus, in corde tuo cogitaveris, quando Confessionarius tuus Absolutionem tibi annuntiavit: Hic blasphematur, quis enim potest dimittere peccata nisi solus Deus? ut Marcus haec verba addit, c. 2. v. 7. Si ve ex merito fastu sacra synaxi sine praevia confessione usus sis: aut ideo, quia te sublimiorem aestimas, quam ut erga ministerium te submitteres: aut haeresi Weigeliana infectus, non

etc.

credis, Ecclesiasten peccata remittere posse. Sicuti multi, inter Politicos præsertim, inveniuntur, quibus hæc in parte propria sua dispositione uti lubet.

Sed non absque gravi peccato hoc est. Quamvis enim in genere loquendo, non absolutæ necessitatis sit, privatim peccata confiteri, sub dispendio salutis. Multa enim loca inveniuntur, in quibus Aug. Confessio viget, ubi saltem Confessionis formula generalis, Communicantibus prælegitur, quo ipso absolvuntur: quæ Ecclesiæ propterea non condemnari possunt: interim tamen in locis, ubi privata Confessio usitata est, ceremoniæ hæc retineri debet, ut Articulus X. Aug. Conf. requirit, maxime propter scandalum, ne simplices anam habeant cogitandi, quasi ratione unius & alterius, qui singularitati & novitati studet, tam facile dispensare possimus, velut in re parvi momenti. D. Balduinus bene hæc de re ita scripsit: *Et si peritiores in genere sita libertate uti possent, propter scandalum tamen, quod facile inde fieri posset, jure suo uti non debent. Non enim semper quod licitum, sed quid honestum sit, videndum est.*

Pii Christiani excellentiam divinæ gratiæ agnoscunt, quam Deus absolutioni impertivit: Licet enim magnum discrimen intersit, inter actionem Christi & nostram. Ipse enim Dominus est de cælo, 1. Cor. 15. v. 47. nos vero ministri tantum sumus, 1. Cor. 3. v. 5. tamen nullo modo Christum, à verbo externo & ministerio separari patimur: sed scimus & credimus firmiter, quod verbo & ministerio suo præsens sit, & mediante illo efficaciter, in & cum nobis agat. Extra verbum neque Christum, neque Spiritum Sanctum habemus, sed

utrumque conjunctum est: ideo Evangelium vocatur potentia Dei, ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

Christus Apostolis, eorumque successoribus non nuda putamina verbi reliquit, sibi nucleum reservans. Minime. Sed verbum illud vitæ, quod ex ejus ore auditum est, auditur quoque ex ore ministrorum ejus: Qui vos audit me audit, ait Servator, Luc. 10. v. 16. Pari modo se cum absolutione res habet. Man sol die Leute lehren/schreibet Lutherus daß man Christo beichte/und daß Christus absolvire / durch den Mund des Dieners. Dann des Dieners Mund ist Christi Mund: Des Dieners Ohr ist Christi Ohr / Christus siehet da beichten/ Christus hörets/Christi Wort seynds/und nicht Menschen Wort/die der Beichtvater seinen Beichtkindern zuspricht. Hinc Christus expresse ad discipulos ait: Quæcunque alligaveritis super terram, &c. Matt. 18. v. 18. Quicunque itaque absolutionem contemnit, Deum ipsum contemnit, qui potestatem hanc hominibus dedit, sicut verba Evangelii non incommode cum Pauli verbis comparantur, 1. Thessal. 4, 8.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad alteram partem, *ἡ ἀκούωσιν*, sive notitiam Christi, contemplaturi. Hic nobis considerandus proponitur:

I. *Tanquam Capernaïticus inhabitator.* Sic enim verba jacent sub initium Evangelii: Et ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem suam. Hæc erat Capernaum, ut Marcus expresse memorat, cap. 1. v. 1. & vocatur Christi ci-

vitas, non quasi peculium ejus fuerit: Non enim Dominus habuit, ubi caput suum reclinaverit, Matth. 8. v. 20. sed, quia post decollationem Baptistæ potissimum ibi commoratus fuerat. *Bethlehem ipsum tulit, Nazareth educavit, sed Capernaum fuit ipsi habitaculum*, ait Chrysostomus. Ibi quasi civis fuit, sicut etiam velut civis tributum & didrachmam suam solvit, Matth. 17. v. ult. Præterea ibidem multas egregias conciones habuit, Matth. 4. v. 13. 17. & miraculis suis adeo in clytam reddidit, ut quasi ad cælum exaltata fuerit, Matth. 11. v. 3. Hoc ipso sibi magnam auctoritatem & multos amicos conciliaverat. Erat ibidem Centurio, cujus fidem adeo prædicat, ut tantam in Israel se non invenisse, assereret, Matth. 8. v. 10. Item Jairus princeps synagogæ, qui Christum magno amore complectebatur, Marc. 5. v. 22. sicut & Satrapa Regius, qui cum tota domo sua credidit, Joh. 4. v. 53. Et præterea multi alii pii, qui ipsum cum gaudio exceperunt redeuntem, erant enim omnes expectantes eum, Luc. 8. vers. 40.

Sicut igitur Christus tum temporis in Capernaum habitavit: ita adhuc hodie civitatem suam habet, ubique terrarum, ubi honor ejus habitat, h. e. verbum Dei pure prædicatur, & Sacramenta ad institutionem Christi dispensantur: id fit in Ecclesia, quæ expresse ideo civitas Dei vocatur, Psal. 46. v. 5. quia ibi iugum & caminum suum habet, Esa. 31. v. ult. & peculiari gratiæ præsentia habitat. *Hæc requies mea*, Psal. 132. vers. 4.

Coram mundo non parvi æstimatur, quando civitates præ aliis peculiare quicquam habent in rebus terrenis, utpote *Horologium artificiosum*, ut Argentoratium, aut

aqua ductum, ut Augusta Vindelicorum, aut *artificiosa adificia*, homines eruditos, bonas leges, & id genus alia: sed id non sufficit. Quando autem civitas re ipsa *χρησιμωτα* esse & dici debet, primo, juxta Christum Jairos ibi esse oportet, h. e. ejusmodi præcones & Ministros, qui homines fideliter Christo adducant, tanquam ad verum Dominum, qui sanguine suo eos emit, 1. Petr. 1. v. 19.

Secundo, Regii & Satrapæ, h. e. Magistratus politicus cum Christo, ejusque ministris consentire debet, quo intercessio eorum eo efficacior sit, Marc. 7. v. 4. Ubi enim Moses & Aaron concordantes sunt, ibi bonum regimen est. Verbi ministri utuntur spirituali, Magistratus vero corporali gladio, hoc ipso malum dissipatur, Prov. 20. v. 8. h. e. peccatis grassantibus obsistitur, ne per illa terra polluat & contaminetur, Jer. 3. v. 1.

Tertio, Patres- & Matres-familias, cum tota domo sua credere debent, & verbum suscipere ex ore prædicantium, non ut verbum hominum, sed ut vere est, verbum Dei, 1. Thess. 2. v. 3.

Ubi hæc tria conjuncta sunt, Christus civitatem suam habet, & inquit: *Inhabitabo in illis*, 2. Cor. 6. v. 16.

De Imperatore Augusto scribit Plutarchus, quod Alexandria occupata, non potuerit adduci, ut ipsi damnum intulerit, idque propter fundatorem: sed reliquerit ipsi privilegia facta testata. Multo æquius nos cum Augustino dicere possumus: *O vere beatæ civitas, quæ Christi nominaris*. Ibi enim præclara privilegia offenduntur, quibus à fundatore suo ornata est, quorum præcipuum est, quod vere pœnitentibus remissio peccatorum fru-
tuose

fructuose annunciatur, & cuilibet in individuo dicitur: Tibi, tibi remissa sunt peccata tua.

Qui hoc corde credente suscipit, thesaurum thesaurorum impetrat. Ubi enim remissio peccatorum, ibi & vita & salus est, Ro. n. 4. v. 7.

Hoc solatio sustententes te, quando paralytis peccatorum te angit, ut à plantâ pedis usq; ad verticem ægrotes, Esa. 1. v. 6. & varia malâ cogitationes de corde tuo exeunt, Matth. 15. v. 19. tu habitas in civitate Christi, ibi Christus legatos & plenipotentiarios suos habet, qui plenariam potestatem habent peccata remittendi & retinendi, Joh. 20. v. 23. Quapropter recipe te in locum confessionis, quando conscientia tua te angit, & effunde cor tuum coram Deo & ministri ejus, & vocem amabilem audies: Confide filii! Confide filia! remissa tibi sunt peccata tua. Hoc pluris faciendum est, quàm omnia alia privilegia, quæ ab Imperatoribus & Regibus impetrari possunt. Ideo ex animo lætari debemus, quod Deus habitaculum suum inter nos fixit. Semitæ enim ejus stillant pinguedinem, Psal. 65. 12. & ubicunque habitat, illic mandavit benedictionem, & vitam usque in seculum, Psal. 133. v. ult.

II. *Tanquam cogitationum explorator.* Quidam de Scribis dicebant inter se: Hic blasphematur. Et putabant id nemini innotescere. Sed ecce! Servator suspicionem eorum in apertum profert, dicens: Quid cogitatis mala in cordibus vestris. Hoc ipso satis probavit, se Dominum & Deum illum esse, de quo scriptum est: Tu solus nosti corda filiorum hominum.

Notetur hoc piis Christianis

1. *Ad consolationem*, quando in tribula-

tionibus & ærumnis versantur. Dominus omnia novit, antequam fiunt, & demensus est in numero, pondere & mensura, Sap. 11. v. 22. usque ad tempus præfinitum, Dan. 11. v. 35. Quinimò si clanculariâ sollicitudine laboramus, quam nullius in sinum effundere audeamus, novit id Dominus, & audit omnia suspiria, quæ propterea ad eum mittimus, Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus, Psal. 38. v. 10.

Cum Moses cum Israëlitis ad mare rubrum inter sacrum & saxum staret, quamvis nullis verbis uteretur, sed in corde duntaxat suspiraret, audivit id Dominus, dicens: Quid clamas ad me? Exod. 14. 15.

Pari modo Annam, in corde tantum suo loquentem, & labia moventem exaudivit, 1. Sam. 1. v. 13.

Cum Jona in ventre cete angustaretur in animâ suâ, & recordaretur Domini, oratio ejus venit ad templum Dei sanctum, Jon. 2. v. 8.

Hoc in nobis fiduciam excitare debet, & quia ejusmodi Redemptorem habemus, qui oculorum acie non modo externam miseriam: sed & internas cordis angustias, quin & cogitationes devotas, & desideria perspicere valet, confidamus ipsi, in omnibus adversitatibus, ipse faciet, Psal. 37. v. 5. Et quando impius dicit: non requiret, tu ipsi explica angustias tuas, dicens: Vides quoniam tu laborem & afflictionem &c. Pf. 10. v. 13. sic ipse succurret, & non æternum dabit afflictionem justo, Psal. 55. 23.

2. *Ad dehortationem.* Ne malis cogitationibus indulgeamus, sed cogitemus, quod Dominus exploratas sibi eas habeat, & alloquatur nos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris. Intelligit enim cogitationes no-

stras de longè, Pſal. 139. v. 3. easq; aliquando congregabit, & in iudicium afferet, Eſa. 66. v. 18. Ideo hîc ſedulâ cautione opus eſt. *Demonum eſt ſuggerere, noſtrum eſt, non conſentire,* ait Bernhardus. Et Auguſtinus: *Quicquid pudet dicere, pudeat & cogitare, quia Deus omnia novit.* Potius nominis Domini Dei noſtri recordemur, Pſal. 20. v. 8. dicentes cum Davide: Quando recordor ſuper ſtratum meum &c. Pſal. 63. v. 7. Recordemur vocationis noſtræ ſtudio, noti pigri, Rom. 12. v. 11. Recordemur extremi iudicii, ubi Dominus etiam cogitationes iudicabit, Heb. 4. v. 12. 1. Cor. 13. v. 5. Summa: quicquid agis, reſpice finem, & nunquam peccabis, Sir. 7. v. ult.

III. *Tanquam præſentiſſimus opitulatur.* Qui artem ſuam in hoc paralytico bifariam probavit.

1. *Per curam ſpiritualem.* Quia enim omnes morbi à peccatis derivantur, Sir. 38. v. 15. Dominus antè cauſam remove vult, & animam ejuſdem ſanare, ideò inquit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Medici corporales varia medicamenta adhibere coguntur, quando paralyſin curare volunt, & tamen

Interdum doctâ plus valet arte malum. Sed Chriſtus iis non indiget: ſed cauſam morborum modò removet, peccata remittens, & ſua ſponte morbi ceſſant.

Pari modo nos quoque morbis preſſi, pœnitentiam agere, & peccatorum ſcatu-
riginem obſtruere debemus, ex qua omnia peccata & mors ipſa derivata eſt, Rom. 5. v. 12. Sir. 38. v. 9.

2. *Per curam naturalem.* Simulac enim Paralytico dixit: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Ille ſolpes & ſanus ſurrexit, & abiit in domum ſuam.

En medicum miraculoſum & potentifſimum! qui verbo tantum morbum proſſigat, quem nemo medicorum medicamentis precioſiſſimis ſanare potuiſſet.

Ne proinde deſperemus *in ſpiritualibus tentationibus*, quando conſcientia angit, & Diabolus nos oppugnat à dextris & ſiniſtris, 2. Cor. 6. v. 7. Hic Dominus ille eſt, qui aufert iniquitatem, & tranſit peccatum reliquiarum hæreditatis ſuæ, Mich. 7. v. 19. Si quis igitur peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum, juſtum, 1. Joh. 2. v. 2.

Ne quoque animum abjiciamus in affectione corporali, quando intraverunt aquæ uſque ad animam, Pſal. 69. v. 2. in diluvio, Nahum. 1. v. 8. Hic Dominus eſt, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus aut intelligimus, Eph. 3. v. 20. nec patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13. Et quando nos ſatis excoxit in furno afflictionis, Eſa. 48. v. 10. ſalvos faciet in regnum ſuum cœleſte, 2. Tim. 4. 18. ubi nullum peccatum, afflictio nulla amplius erit, ſed abundantia gaudiorum, & delectationes, in æternum, Pſ. 16. ult. Largiatur id nobis Deus omnibus ex gratia per Jeſum Chriſtum,

Amen.

* * *